



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Infantibus & languidis expositis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

Qui scienter liberos interfecerunt, gravius quam homicidæ puniri debent. *c. cum juramento. de homicid. c. aut facta. de pœnit. dist. 1.*

Mulier partum animatum, medicamentis, vel aliter abigens sponte, vel abortum ita faciens, capitali supplicio plectenda est. *c. aliquando. c. Moses. c. semina. 32. qu. 2.*

Mitius cum ea agitur, quæ per iracundiam, quod maritus illi exprobrare solitus, filium suum non esse, eundem filium occidit. Nam, si maritus mortuus: pœnitentiæ agendæ causâ ad monasterium transire debet; *c. 1. de his qui fil. occid. & ibi perpetuò manere; nec alii nubere, nisi de incontinentia timeatur. c. veniens. eod.* Si maritus unâ cum aliis liberis adhuc superstes; uxor, injunctâ sceleris sui pœnâ, ob liberorum salutem, marito non adimitur: si adempta, restituitur. *c. intelleximus. eod.*

Si infans in lecto parentum suffocatus inveniatur, & quis ex conjugibus eum oppresserit ignoretur, uterque mortis eventu considerato, tribus annis pœnitere debet, & horum unum in pane & aqua peragere, *c. fin. eod.* si quidem culpa vel negligentia eorum præcessit; si non, nec sunt puniendi. *Gloss. in d. c. fin.*

*De infantibus & languidis expositis.*

TIT. XII.

**F**ilium necare etiam videtur is, qui infantem, aut languidum exponit, vel ab alio exponi patitur, siue expositionem ab alio factam ratam habet, qui ei alimenta denegat. *c. un hic.*

Sic expositus à potestate patria liberatur, *d. c. un. nec patri repetitio: l. 1. C. eod.* nec ei qui eum suscepit, aluit, aliquod jus in ejus persona competit. *d. c. un. l. sancimus. C. eod.*

Servi vel liberti sic à dominis expositi libertatem & ingenuitatem nanciscuntur. *d. l. un.*